

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

pisse scripsi, ut scias, tuas literas mihi fideliter redditas, mihi que negotium hoc curæ esse. Bene & feliciter vale. Raptim Bebenhausen, 1573.

Tuus ex animo totus

Jacobus Andreae, D.

CXXXVI.

Salutem in eo, qui unica est salus & redemptio nostra.

HAberem sanè, Clarissime Vir, frater in Christo dilectissime, occasionem amplissimam, copiosius ad te, hoc maxime tempore, quo ex uxoris meæ litteris abundè intellexi, quam humaniter ipsam Argentinæ exceperis, quam lautè tractaris, quam denique amicè ad Thermas proficiscentem dimiseris, scribendi, tibi que pro eo, ac potest, gratias quam maximas agendi. Verum hæc Evcharisticas differam, ad reditum ejusdem, scripturus deinceps, non tantum ad te, sed ad reliquos omnes & singulos, quorum uxor insignem benevolentiam, in hoc suscepto itinere est expectata. Jam tantum scribo, propter stipendiarios Reipublicæ nostræ, Scherbiium & Violam. Avocabuntur hi, hoc mercatu vestro, literis Dominorum meorum, sicuti & reliqui, qui Tubingæ hæctenus vixerunt. Instituetur cum præsentibus Examen publicum, audientur quoque in Ecclesia publicè, ut intelligant Domini, quam benè sumptus suos hæctenus collocarint, & quisnam illorum deinceps usus, tam in Ecclesia, quam in Schola esse possit. Hos ut tu ad nos mittas, instructos & ornatos testimonio, quo digni sunt, peramanter rogo & oro. Curabo, quantum in me est, ut vel ipsi ad vos remittantur, vel alii in ipsorum locum substituantur. Cæterum quam longè gratissima mihi fuerit præsentia & unius atque alterius horulæ amicissima conversatio, cum Reverendo & ornatissimo Viro, D. Magistro Pappo, Commensali, Sympatriota & Collega tuò, dici sanè vix potest. Exposuit is mihi, ex sententia & jussu tuo, copiosius statum & Reipublicæ & Ecclesiæ & Scholæ vestræ, pro qua amicissima communionem, tibi officiosè & reverenter ago gratias. Deprehendi ego in hoc ipso Viro, non tam morum suavitatem quam eruditionem insignem; & ex animo non tam mihi sum gavissus, quod data fuerit occasio contrahendi cum ipso familiaritatem, quam Ecclesiæ & Scholæ vestræ gratulatus, quod tali viro est ornata, cuius eruditio multiplex, multipliciter & prodesset in utraque statione & auditoribus & studiosis poterit. Hunc ut meis verbis officiosè & reverenter salutes, maximo sanè opere abs te contendo. Novarum rerum apud nos nihil est, nisi electio Regis Polonici à DEO Optimo Maximo dubio procul in hunc finem directæ, ut hic novus

Rex,

Rex, deinceps Janitor sit, Exercitibus Gog & Magog, invadendi & opprimendi Germaniam, & sic accelerandi ultimi & secundi adventus sui. Illustriſſimus Princeps Julius Dominos meos invitavit ad Baptiſmum nuper nati filii Principis: Illi eò miſerunt quendam ex præfectis, inſtructum amplo honorario. Epifcopo Auguſtano defuncto ſucceſſit quidam ex nobili familia Knöringeniſium, priorem longè ſuperans, odio erga veram Religionem. Bene & feliciter anima & corpore vale, Clariffime Vir, frater chariffime, meque & meos tibi & deinceps commendatos habe. Saluta reverenter uxorem ſeu potius, propriè loquendo, Magiſtram tuam, aut Magiſtrum. Vixi ego hæcenus in abſentia uxoris meæ, gaudens utroque gladio & titulo, Doctoris ſcilicet & Magiſtri: Sed valde mihi metuo, ne ſecundum ipſâ adveniente cogar vel invitus reſignare. Miſereatur ergò & tui & mei Deus Optimus Maximus & clementer concedat nobis, hoc uxorium Magiſtrale Imperium patienter ferre. Denuò vale, Vir Ornaſſime. Raptim Ulmæ, 20. Junii, Anſio 73.

Excellent. & Humanitatis T.

ſtudioſiſſimus & addictiſſimus

Rabus, D.

CXXXVII.

Salutem in Domino.

ETſi, Clariffime vir, obſervande in Domino frater, vel pater potius, fore exiſtimo, ut intra paucos dies R. tuam Argentinæ videam, tamen quia Reverendiſſi D. Præpoſitus Denckendorfenſis, affinis meus chariſſimus, vereretur, ne forte non eodem tempore R. tuam Argentinæ convenire poſſemus, petiit, ut ipſius filium, quem ſecum adducet Argentinam, R. tuæ commendarem per literas. Quid petat Reverendus D. Præpoſitus (unus ex præcipuis hujus Ducatus Prælatiſ) ipſe coram exponet; id nimirum, R. tua uti operam det, quo filius erudito & pio pædagogò commendetur, qui & ſtudia ejus rectè regat, & mores formet, & qui authoritate ſua eum totum gubernet. Magnam ille in R. tua ſpem habet neque dubitat, quin ea de præceptore idoneo adoleſcenti rectè proſpicere poſſit. Et valde probantur optimo viro ſtudia Argentinæ Academiæ, in qua & bonæ literæ florent, & diſciplina viget, quæ duæ rationes ipſum impulerunt, ut filium Argentinæ ad tempus literis operam dare velit. Quare ſi quid ea in re R. tua potest, potest autem plurimum, quaſo det operam, ut Reverendus Dominus Præpoſitus ſentiat, meam commendationem ſibi uſui fuiſſe. Reliqua DO-

MI-